



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Thomæ Comptoni Carleton, Cantabrigiensis,
Societatis Jesu, In Collegio Anglicano Leodiensi Sacrae
Theologiae Professoris, Cursus Philosophicus Universus**

Carleton, Thomas Compton

Antverpiæ, M.DC.XCVII.

Dispvt. XLIII. De unionibus Continui.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95656](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95656)

finitus: hic autem non possunt dicere esse solas partes potentia, non actu, quia actu omnes fuerunt divisae, & successive destructae, ergo etiam juxta adversarios erant partes actu.

SECTIO II.

Objectiones contendentes non dari partes actu in continuo.

I. Obijciunt Aristoteles dicens in continuo non esse partes actu, sed potentia, & actu esse unum, & alia hujusmodi. Ad hoc recte respondet Suarez solum velle Aristotelem non esse illas partes in continuo actu per modum entium completorum per se, sed ut complentes aliam entitatem. Ad secundum autem quando ait esse unum, intelligit omnes illas partes esse unum, non quod verè sint unum inter se, & identificatae, sed unum compositum; nam caput, manus, pedes, &c. sunt unus homo, omnes partes ignis sunt unus ignis, partes aquae in mari sunt unum mare, &c.

II. Unde res omnis continua est unum actu, potestate plura, nempe est unum compositum actu, plura composita potestate, nam una aliqua aqua est quidem actu una, potest tamen dividi in tres partes, & tunc erunt tres aquae, antea autem non poterat actu dici tres aquae. Aristoteles verò nunquam ait partes non esse distinctas, nec utitur hoc vocabulo, unum autem etiam secundum Aristotelem non capitur pro identitate, sed idem subinde sonat quod simile, ut quando ait duos parietes esse unum in albedine, & Petrum ac Paulum unum vocat in natura humana.

III. Obijciunt secundò: si omnes partes continui sint actu distinctae, sequi continuum componi ex indivisibilibus: patet sequela, si omnes partes sunt indivisibiles, ergo sunt indivisibiles, quando enim non possunt ulterius distinguui, nec poterunt ulterius dividi. Resp. negando sequelam, nec enim sequitur Petrus est indistinguishibilis à Paulo, ergo est indistinguishibilis, solum enim est ab eo indistinguishibilis, quia est actu distinctus: unde res quaeque maxima, ut mons, arbor, domus sunt hoc sensu non minus indistinguishibiles ab aliis rebus, quam punctum quodvis minimum, id est, non sunt in potentia ad distinctionem, quicquid enim est actu distinctum ab alio

est ab eo indistinguishibile, nec enim illud est solum aptum distinguui, seu in potentia ad distinctionem, quod est actu distinctum.

Dices, statuamus ergò unam partem quae distinguatur ab omnibus aliis, vel est divisibilis, vel non: si non, ergo est punctum; si ita, ergo non est distincta ab omnibus aliis. Resp. negando suppositum: nulla enim una assignari potest pars, quae adequatè distinguatur ab omnibus aliis, sed solum inadèquatè & tanquam includens ab incluso, nulla enim est quae in se non includat infinitas: & propterea vocantur partes communicantes, ut postea videbimus.

Obijciunt tertio: si actu distinguantur puncta à partibus, ergo possunt omnia separari, ergo tunc omnes partes remanebunt sine unionibus, ergo erunt indivisibiles: si enim omnia puncta destruantur, non sunt ullae partes usitatae, ergo omnes divisae, ergo nulla divisibilis. Resp. negando primam consequentiam: sicut nec sequitur, ubicatio & actio distinguuntur realiter à re ubicata, & conservata, ergo omnis actio & ubicatio separari à re illa poterit, sic enim res esset & nullibi esset, & existeret sine actione conservante, quae implicat. Eodem ergo modo in hoc casu sequeretur implicantia: essent siquidem partes, & non essent, essent ut supponitur, non essent quia dividi non possent, quod tamen est de conceptu essentiali partis, ut pars distinguatur à puncto. Potest ergo quodvis punctum separari, sicut & quavis actio, aut ubicatio non tamen omnia separari simul.

Obijciunt quarto: ex duobus entibus in actu fieri nequit unum per se, ergo partes in continuo non distinguuntur actu, sed tantum potentia. Contrà, si perentia in actu intelligantur solum entia realiter distincta, certum est ex duobus entibus in actu hoc sensu fieri unum per se, corpus enim & anima realiter distinguuntur, & tamen ex iis fit unum per se. Resp. ergo ex duobus entibus in actu completo non potest fieri unum per se, posse tamen ex duobus entibus in actu incompleto, quia ratione sunt completa: partes ergo continui, aquae ex. g. licet sint completae essentialiter, integraliter tamen sunt incompletae, sicque ex illa parte admittunt augmentum. Alia etiam argumenta hic obijci solent, quae postea in explicatione sententiae nostrae de Continuo solvantur.

DISPUTATIO XLIII.

De Unionibus continui.

SECTIO PRIMA.

Utrum in Continuo dentur uniones distinctae à partibus.

I. Prima sententia est quorundam recentiorum, qui negant in Continuo dari uniones ullas distinctas à partibus, sed ajunt partes, positis quibusdam dispositionibus accidentalibus, & indistantia locali, uniri seipsis.

II. Impugnatur hæc sententia primò: aqua, ignis, ferrum, & alia hujusmodi sunt tota, seu composita substantialia, ergo non possunt eorum uniones esse accidentia, sic enim essent composita accidentalia,

& nullam ex illis esset unum per se substantiale. Respondent, ad hoc ut aqua ex. g. sit unum per se substantiale, sufficere quod partes illius principales sint substantiae, ex iis enim, primariae cum sint, desumitur denominatio totius. Contrà primò, in compositis non desumitur denominatio à partibus tantum, sed etiam ab unionibus, imò ab hac principali ter:

Sic enim in homine totum dicitur generatum, licet nec materia, nec forma generetur, sed sola unio. Ratio autem est, quia Bonum ex integrâ causa, malum ex quolibet defectu: cum ergo esse substantiam sit quid bonum, & perfectum respectu esse accidentalis, & quandam præ se ferat dignitatem, ut aliquid sit substantia, debet esse usquequaque substantia, seu nihil in se continere accidentale.

Contrà secundò, ex illa enim solutione sequere-

IV.

Nulla sumi potest pars in continuo adequatè ab omnibus aliis.

V.

Obijciunt puncta separari à partibus.

Resp. quodvis punctum separari posse à partibus, non tamen omnia.

VI.

Obijciunt ex duobus entibus in actu non posse fieri unum per se.

Resp. id verum esse quando sunt in actu completo, non quando incompleto.

esse composita accidentalia.

III.

Non à partibus tantum, sed etiam ab unionibus sumi ut denominatio totius.

Bonum ex integrâ causa.

IV.

Acceruum lapidum esse totum substantiale, cum partes sint substantia.

V.
Potest Deus materiam, aut quantitatem conservare sine omni accidente, ergo unio eorum constituitur non est accidentis.

VI.
Non potest assignari quodammodo sit illud accidens, quod statuitur pro unione partium constitutivam.

VII.
Dices, accidentia non esse unionem ipsam, sed tantum conditiones.

Varia refellitur hac responsio.

VIII.
In sententia negant unionem in continuo sequitur mutua causalitas.

In dispositionibus ipsis, & ubi ubi rationibus, admutui debent uniones.

tur acervum lapidum, aut tritici, esse quid substantiale, cum primarie illius partes, lapides scilicet, seu grana tritici, sint substantia, & sola unio, seu ubicatio accidentalis. Contra tertio, unio est forma compositi, ut compositum est, si ergo forma compositi sit accidens, compositum non potest esse substantiale.

Impugnatur illa sententia secundo: potest Deus materiam, aut quantitatem conservare sine ullo omnino accidente, ergo unio eorum continuativa non consistit in aliquo accidente. Consequentia est clara, in illo enim casu partes materiae, aut quantitatis, adhaeruerunt inter se unitae, alioqui continuum divideretur in omnes suas partes. Antecedens itaque probatur primo: potest enim Deus conservare materiam sine omni forma materiali, ergo & sine omni forma accidentali. Secundo, potest Deus conservare accidentia sine materia seu subiecto, ergo & subiectum seu materiam sine accidentibus, nec ulla disparitas assignabitur, nisi petendo principium. Tertio, potest Deus secundum hos auctores conservare materiam, & quantitatem sine omni ubicatione, ac duratione, ergo a fortiori sine aliis accidentibus, cum secundum omnes difficilior multo censeatur rem aliquam spoliare omni ubicatione & duratione, quam calore, frigore, & reliquis accidentibus absolutis.

Impugnatur tertio: & inquiri quodammodo sit hoc accidens, quod statuunt pro unione continuativa partium materiae: si enim accidens hoc sit calor, frigus, aut aliud huiusmodi, sequitur unionem continuativam materiae, aut quantitatis, singulis ferme momentis, totam mutari, haec enim accidentia frequentissime mutantur, his destructis, & aliis in eorum locum succedentibus: si vero esse velint occultam quandam qualitatem, praestet unionem substantialem agnoscere, quam ad huiusmodi abstrusa, & omnibus ignota confugere.

Dicent fortasse accidentia illa, seu dispositiones non esse ipsam formalem unionem continuativam, sed solum esse conditionem essentialem, qua posita, partes materiae & quantitatis uniantur seipsis. Contra primo, jam ostendi, separato etiam omni accidente, manere partes materiae, & quantitatis unitas. Contra secundo, ponamus Angelum intuitivè videre materiam aliquam non videndo ulla accidentia: inquiri utrum Angelus ille in hoc casu videret partes unitas, & totam essentiam unionis earum continuativae? Si non, ergo accidentia sunt ipsa formalis unio, & redeunt argumenta omnia supra posita: Si videret totam essentiam unionis continuativae, ponamus, persistente adhuc eadem visione partium, Deum tollere accidentia, Angelus nullam advertet mutationem, sed videbit adhuc totam essentiam unionis earum continuativae, ergo tam sunt unitae ablatis accidentibus, ac quando accidentia eis inerant, ergo accidentia & dispositiones nequidem sunt conditiones essentiales ad unionem requisitae.

Impugnatur quarto: materia non est apta ut recipiat formam ullam, vel substantialem, vel accidentalem, donec partes ipsius integrantes inter se uniantur, & sit continua, cum existere nequeat divisa in omnes suas partes, ergo pro aliquo priori debet habere unionem continuationis, quam recipiat has dispositiones, ergo dispositiones nec sunt uniones ipsae continuativae, nec conditiones essentialiter ad eas praerequisitae, cum educantur ex potentia materiae, & in illa Physice subiectentur: sic enim daretur mutua inter materiam & has dispositiones causalitas. Conf. dispositiones ipsae, & ubicationes habent diversas partes integrantes, & faciunt unum continuum accidentale, ergo vel ponere debent hi auctores dispositiones dispositionum in infinitum, vel uniones aliquas agnoscere, partium illarum continuativas.

Dicendum itaque, in continuo praeter partes, nec cessariò admittendas esse uniones aliquas continuativas, quarum munus sit has partes inter se connectere, & una cum illis compositum integrale constituit. Hæc conclusio probata sufficienter est impugnatione prioris sententiae. Cujusmodi verò sint hæ uniones constabit ex sectione sequenti.

SECTIO II.

Utrum continuo sint vera indivisibilia.

NOtandum sicut divisibilitas est triplex, ita indivisibilitas illi respondentem esse similiter triplicem: alia est ergo divisibilitas secundum triam dimensionem, seu longitudinem, latitudinem, & profunditatem, & indivisibilitas huic correspondens, est superficies: alia est divisibilitas secundum latitudinem tantum, quæ est ipsa superficies, & indivisibilitas huic correspondens est linea: tertia demum est divisibilitas omnium minima, seu secundum longitudinem tantum, quæ est linea, & huic correspondet indivisibilitas omnium maxima, nempe punctum, quod vocatur indivisibile simpliciter. Superficies est indivisibilis versus unam dimensionem, nempe profunditatem, sed divisibilis quoad longitudinem & latitudinem: linea est indivisibilis versus latitudinem & profunditatem, sed divisibilis versus longitudinem: punctum verò versus omnem dimensionem est indivisibile.

Prima sententia indivisibilia omnia tollit de continuo, & illa, quæ communiter indivisibilia esse dicuntur, nihil aliud esse affirmat, quam negationes divisionis: ita Ockam tract. de Sacram. Euchar. c. 1. & 2. Greg. in 2. d. 2. q. 2. a. 1. Durand. in 2. d. 4. & alij continuum nonnulli.

Secunda sententia est eorum, quos disp. præced. tit. 1. n. 1. tuli qui sicut partes actu distinctas negant in continuo, ita similiter negant in eo dari indivisibilia actu, sed solum in potentia. Quæ sententia iisdem argumentis impugnatur hic quoad indivisibilia, quibus ibi impugnata est quoad partes.

Tertia demum, & vera sententia affirmat dari in continuo vera, & realia indivisibilia, a partibus actu, & realiter distincta: ita S. Thomas Opusc. 36. c. 2. & quodl. 7. c. 9. ad 2. & q. 17. de veritate, a. 2. ad 10. Alensis l. 3. Met. c. 5. Scotus in 2. d. 1. q. 3. & 2. q. 4. Sorus in Præd. quant. Cajet. 3. p. q. 4. a. 2. Fons. 5. met. c. 13. Sua. d. 40. met. 5. n. 13. Conim. l. 6. Phy. c. 2. q. 1. a. 2. Rubius l. 6. Phy. tr. de continuo nu. 14. & 15. Murcia l. 6. d. 1. q. 1. Hurtad. d. 15. Phy. l. 2. Oviedo cont. 17. Phy. p. 1. n. 4. & 5. estque communis inter recentiores opinio. Non tamen eodem omnes modo hæc in re procedunt: Fonseca enim citatus, & Abulensis in c. 11. Exod. q. 4. admittunt puncta terminativa, & negant continuativa. Alij de contra puncta continuativa admittunt, negant terminativa.

Dari ergo in continuo vera & realia indivisibilia probatur primo, argumento illo de sphaerico & plano. Si ergo perfectè sphaericum ponatur permanens super perfectè planum, solum tangit illud in puncto, si enim tangat secundum plus quam punctum, ergo non est perfectè sphaericum, cum adhuc possit tangere in minore parte, & consequenter tunc esset planum magis rotundum quam modò, ergo jam non est perfectè rotundum. Confirmatur, quia tangit planum secundum plus quam punctum, ergo tangit planum quam punctum in plano, ergo secundum aliquid adequatur plano, ergo habet planitatem, & non est secundum totum perfectè curvum, & rotundum.

Negant

VI. Negant aliqui posse dari globum perfecte sphaericum. Sed contra, negare hoc divinae potentiae est durissimum, & merè gratis dicitur ad vitandam vim argumenti.

VII. Alij ergo cum Albertino supra citato, ut vim etiam argumenti declinent, dicunt nunquam posse sphaericum tangere planum immediate, ita ut, si ingens aliquis lapis perfecte sphaericus caderet summo impetu ab ipsa sphaera lunae super planum in terra positum, asserant tamen ad illud nunquam perventurum, seu tacturum illud immediate, sed semper interponi minimam aliquam particulam aëris, & sic non est mirum, inquit, quod non tangat planum illud in puncto, cum non omnino tangat. Hæc solutio per se videtur incredibilis; cum enim aër secundum omnes suas partes sit liquidus, quidni cedent æquè ultimæ partes, ac primæ? Deinde si potuit lapis ille vincere omnes alias partes intermedias, quidni etiam illas? præterea, si caderet magna vi imprimeret vestigium sui, & partes plani illi respondentes subsiderent, ergo in illo casu tangeretur.

Contra: globus ille cadens fundit alias partes aëris, ergo & plano proximo.

VIII. Dices, sicut ensis subinde scindit crus, integro adhuc tibiali, ita & lapis imprimer lignum illud, licet aër intermediet: sicut etiam idem signum imprimeret sphaericum, licet panno aliquo tegetetur planum. Sed contra, id enim de ense est aliquid peculiare, nam ensis non potest tibi tale illud scindere, cum cedat, ex eo quod caro seu molle quiddam supponatur: sed quod aër ille non cedat, videtur gratis omnino dictum, eodem enim modo dici posset, cum cuiquæ caput præcinditur, vel corpus sagitta transfigitur, non fieri immediate à gladio vel sagitta, sed ab aëre interposito.

IX. P. etiam Hurtad. d. 15. c. 2. n. 26. non placet prædictum argumentum, sed alio ex capite: nam, inquit sphaericum illud potest rotari super planum, & illud semper tangit, ergo semper in puncto, ergo nihil tangit, vel tangit: ut in hoc vel illo, nisi puncta, ergo nihil est in iis præter puncta, ergo componitur utrumque, ex solis indivisibilibus. Aliqui negat posse sphaericum illud omnino rotari super planum. At hoc non est necessarium ad solutionem Argumenti.

Dico ergo, successive posse aliquid indivisibile correspondere divisibili, hoc enim nihil aliud est, quàm quod possit per omnes illius partes paulatim transire, & illis successive correspondere, ad hoc autem non requiritur, ut ulli illarum commensuretur, vel illi in magnitudine sit æquale.

Nec videtur negari posse indivisibile frequenter successive correspondere parti divisibili, nam quando duo corpora plana, ut duæ tabulæ, vel ambæ manus se invicem tangunt permanentes, pars corres-

pondet parti, & punctum puncto: quâdo ergo dum adhuc se tangunt moventur diversa via manus illæ, frequenter vel tabulæ, puncta, quæ prius correspondebant punctis, jam successive necessario correspondent partibus, quæ in compositione continui punctis localiter succedunt.

Secundo, probatur dari indivisibilia in continuo: materia prima est unum per se, & non aggregatum per accidens, ergo inter partes illius debet intercedere unio, sed hæc, quæ parte est unio, debet esse indivisibilis, ergo. Probatur minor, si unio hæc sit divisibilis, ergo habet partes, ergo illæ debent uniri, nam si unio ipsa sit aggregatum tantum per accidens, compositum ipsum non potest esse unum per se. De hac ergo unione quæro an sit indivisibilis? sicq; vel procedendum erit in infinitum in unionibus unionum, vel tandem sistendum in aliquo indivisibili.

Quæres à quo producantur hæc indivisibilia? Resp. indivisibilia omnia, præter indivisibilia materiæ primæ posse vel produci ab eo qui producit partes, ut in qualitatibus, vel etiam ab ipsis partibus: indivisibilia autem materiæ videntur debere produci à solo Deo, cum enim non possint propriè habere subiectum, dici debent creati, ac proinde à solo Deo existentiam suam accipere.

Quæres 2. an dari possit indivisibile, seu punctum aliquod separatum à partibus? Resp. si sit semel unio partium, non potest: sicut autem dantur juxta probabilè sententiam non solum puncta continuativa seu connectentia duas partes inter se, sed etiam terminativa, quæ respiciunt unam tantum partem, ita quidni dari poterit punctum aliquod absolutum ab omni parte, & quod nullum omnino respiciat, qualia plurima ait P. Suarez. esse in continuo permanente, & in successive omnes vident esse hujusmodi, cum existant puncta quando partes non existunt, ac proinde tempus, motus & omne successive non est ita propriè, & in rigore continuum cum nunquam existat unio quando existunt partes, nec è contra.

Probatur ulterius: Angelus juxta communem sententiam potest pro libito existere in solo puncto, ergo tunc habet ubicationem sibi correspondentem, nempe indivisibilem, ergo nullas habet partes ubicatione illa, ergo est solum unicum punctum, & consequenter existit punctum sine ullis partibus.

Sicut autem sunt aliquæ partes determinatæ, aliæ proportionales & indeterminatæ, ita & sunt puncta quædam determinata correspondentia partibus determinatis, & alia indeterminata, & proportionalia correspondentia partibus proportionalibus, & indeterminatis. Sed de his iterum recurret sermo in sequentibus.

DISPUTATIO XLIV.

Proponitur sententia Zenonis.

SECTIO PRIMA.

An continuum componatur ex solis indivisibilibus.

I. Sententia continuum componens ex solis indivisibilibus. Zeno, quem Stoici hac in parte sequebantur, continuum omne dicebat ex indivisibilibus, seu punctis mathematicis componi. Idem affirmabat Pythagoras, Democritus, Leucippus, & alij. Quam etiam sententiam amplectitur P. Herice l. p. R. P. Th. Comptani Philosophia.

to. 4. d. 43. c. 2. n. 6. & in eam valdè propendere videtur P. Arriaga hic disp. 16. & non pauci tenent ex recentioribus.

Hæc opinio non eodem modo à suis auctoribus defenditur: alij enim continuum componi dicunt ex indivisibilibus, seu punctis Mathematicis infinitis: hi autem in omnes ferme difficultates, quæ in opinione Aristotelis reperiuntur, incurrunt. & novas superaddunt. Alij (est quæ communior eam defendendi modus) ex indivisibilibus solummodò finitis.

Sed contra hanc sententiam de indivisibilibus uni.

Indivisibile frequenter correspondet divisibili.

XI. Alio modo probatur dari indivisibilia in continuo.

XII. A quo producantur indivisibilia in continuo.

XIII. Dari potest punctum per se solum existens, & separatum à partibus.

XIV. Ubicatio Angelus existens in puncto est punctum.

XV. Puncta quædam sunt determinata, quædam indeterminata.

II. duobus modis defenditur hæc opinio.

III.